SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAVLO. V. PONTIFICI MAXIMO P. F.



ANCTITATIS Vestræ pedes, oscularer præsentissimus, & vel absens, hinc, totus provolutus, piissime exosculor. P. Beatissime. Nam, sexagenarius jam, senio confectus, studiis, scriptionib. & annis, domi contineri cogor: cogor sed, deferre litteris: quæ haud licet ore. Quattuor, & triginta annos, parvi pagi peregi Parochum: literatorem etjam infantiæ, & pueritiæ: adolescentiæ, & juventutis Magistrum: mercede accepta à nullo: & reddita multis: dum vellent accedere: amarent erudiri. Videbam siquidem, quam Magistri, Primo Parochi officio, posse propinquius reperiri nihil. Proponebatur etenim, nec semel, a Patre, Filius datus hominib. Max. & Pont. & Mag. Proponebatur etjam Spiritus-sanctus, & a Patre, & a Filio *THEANTHROPOI*, missus Apostolorũ, missus Discipulorũ, missus, mortaliũ hominũ Mag. Proponebantur quoq; Apostoli, a suo uno, etjã, in cœlis adsidente, ad Patris dexteram, Magistro Christo, ordinati, cæterorũ omniũ, & Episcopi, & Magistri: & deinceps, Sexcentos, post Christum annos, a Discipulorum Discipulis, Discipuli. Apostolorum primus, proponebatur, propior nobis, notiorq. Iacobus major, Hispaniarum Apostolus: Cæsaraugustanæ Civitatis, Sedisq. cum Episcopus, tum Magister. Qui ordinavit, & Episcopos, & Magistros, non modo doctrinæ euãgelicæ: sed, ecclesiasticæ quoque disciplinæ: tum, omnis generis litterarum, per totam Hispaniam, suos discipulos. Suos, in primis, Athanasios, Valerios, Braullios, Maximos, & permultos alios, Cæsaraugustanos. Suos Eugenios, Ildefonsos, & alios perplures, Toletanos. Suos Leandros, Fulgentios Hispalenses, Astigitanos. Qui & Episcopi, & Sancti, & Magistri, Isidorum fratrem, natu minorem, Sancte, liberaliter etjam, educarunt, in omnium studio literarum. Isidorus itaque, fratrib. Episcopis, Magistris; ingentem adeo, cum Latine, tum Græcè, tum Hebraice, doctrinam adsecutus est; &, tanta, cum nominis claritate; vt vita functo, fratre Leandro, Hispalẽsi in Archiepiscopatu, fuerit suffectus, maxima cum omniũ, in primis. D. Greg. PP. approbatione, & congratulatione. Archiepiscopus jam, formam præscriptam, a Christo, a Iacobo Apostolo,

a Va-

a Valerio Cæsaraugustano,ab in spiritualib.progenitorib. & ab in naturalib. germanis fratrib. suis,sequutus; &, eorum inhærens vestigiis,& Pontifex Sanctissimus fuit: & Magister,quam multorum, diligētissimus. Quippe qui,quasi Archiepiscopi ex munere,& proprio ex officio,collegia edificavit:Seminaria,curavit erigere: & in his, ipse,Divinis lectionibus in primis,incumbens,invigilans,plurimos,ipsemet, vel Archiepiscopus,ex omnibus partibus, confluentes ad se,discipulos,erudivit.Quorum in numero,Illustriores multo,&Braullion Cæsaraugustanus Episcopus:&,Ildefonsus,Archiepiscopus Toletanus:vterque Magister:vterq; sapientissimus:vterq; Sanctissimus:vterque,acerrimus Diuinarum Veritatum,propugnator:vterque,grauissimus Hæreticorum malleus. Et hinc, Sanctissimis Patribus, S. C. Trid. Seminariorum, propriis in Diœcesibus, erectio, adeo commendata:nostris Episcopis neglecta nimiū: vel,in extrema jam necessitate:pro Patria, nobis deplorata acerbissime.O,si,possemus occurrere,mederi malo,magno adeo,& gravi! Quidni,& mihi parvi pagi Parocho,injunctam æque quoque,fuisse sensissem,informationem infantiæ, & pueritiæ,saltem in Grammatistica:& in quibus possem:pro puerorū captu:proque, mea tenuitate? Visum ita quidem mihi, & præreptum,in perpetuum, proprium quoque institutū:nonne,& oblata, quæsita quoque, quavis, undequaque,occasione,conatus sum,persuadere quam plurimis:ut mihi,illud efficerem cōmune,cum multis? Quod mihi ipsi, jam, & jucundius,& gloriosius multo.Nec secus,homo nullius notæ,nullius auctoritatis,apud Episcopos:sed invisus,ex hoc ipso,&insimulatus,ipsis Episcopis,erigendorum seminariorum, proprii officii, qua potui,& qua debui reverentia,sæpe,ac sæpius,quibus potui,& publice,per Synodales, & privatim, (vel semper aërē verberans), memoriam refricavi.Aliis ab Episcopis,Amplissimis, & in summitate rerum,constitutis viris,Academiarum erectionē,suadere ausus sum.Sed,mei muneris,nunquam oblitus, reliquus a Parocho, quū, a nullius penderem auctoritate;nullius,expectanda esset mihi, voluntas;uni huic curæ,totus incubui:totam,ut illam,eruncarem agrestem,sylvestrem,dumosam,spinosamque rusticitatem:cunctam,ut, illam paganam gentem,erudirem:omnem,ut,illius pagi, illius parvæ parochiæ,saltem mihi commissam juventutem informarē,optimis,cum moribus:tum,litteris.Latinis solum?haud quidem: sed & Græcis,cumHebræis.Rhethoricis nonne documētis: cunctis cum methodis Logicis? elementis etjam,ac omnium,cum,rerum, tum, doctrinarū,primis principiis?communissimis,& altissimis sciētiarū omnium,sapientiis:Physicis inquā, & Metaphysicis?Tandem,illud

Bre-

Breve Apostolicum, in trium, maxime, Sanctarum linguarum, &, dignissimam, & quamnecessariam commendationem: Decretum, vere Paulli, vere Doctoris, vere Magistri, vniuersarum gentium: quibus præfectus a Spiritusancto, & suffectus, pro Christo Domino, Archæpoimenos, præis, & pascua pinguia provides. Statutum inquā illud, vere Paullinum, vere tuum, vere piissimum: vere Cœlestis, Supremi, & Divini Senatus, Cōsultum, &, grauissimum, & Sanctissimū: quum, in ipsum, fausta fortuna, forte incidi; & inveni mihi præventum, mihi præreptum, meum in institutum.

Mah nimletsŭ lehicchi; middevàx, venophèt tsuphim, lephi.

Quam me affecit, & afficit mirifice dum lego: legoque frequentissime: super mel, & liquorem favorum, ori meo. Quid Sanctissime Pater prohibet; quo minus, & adigas seculares, iisdē prærogativis: quibus regulares, ad hoc studiū? Quid impedit; quo minus, & moneas; ut ab Episcopis, in honorum, dignitatū, canonicatuum, & beneficiorū quorumcūq; distributione, pileis Doctorum, fulgentioribus ab auro, solum, optimæ, politiores, ac humaniores literæ, (vel solū Latinæ) etjam squalidæ, ac sordido sub pallio, longe anteferantur, multumque? Ecquid tandem obstat; quo minus, a Suprema Sede, Cathedralibus, Metropolitanis saltē in ecclesiis, Canonicatu, &, dignetur: qui tradēdis Hebræis, Magister erit? & quam maxime, nobis Hispanis? Quibus exprobrant, (nec injuria) cæteræ nationes, summā nonne infantiam: maxima cum ign orantia, Romani etjam sermonis? Apud Complutēses sane, nec non Salmanticenses, omnium fere, & graviorū scientiarū Cathedræ, sola sonant lingua Boetica. Linguarum Sanctarū Græcæ, & Hebraicæ, Cathedræ, quondam, recenter natæ, ipsis in crepundiis, in incunabulis, sua prima in infantia, quosdam dedere quasi vagitus: obmutuere statim: cum vix quidem, ac nec vix, loqui cœpissent: tandem, nunc, silent. Quoniā, qui velit audire, reperitur nemo: nā si quis: probro cunctis est. Itaque, redditus decreti, sustentationi discētium, & omnino, collegiorū, nonne, & ipsæ scholæ, ædes, domus, parietes, alios transferuntur ad vsus? Concionibus, Sanctissimorum, & Veterum Patrum, neglectis; (quod aut. Græcæ, aut Latinæ admodū: & ex recondita quadam eloquendi, & persuadendi arte: cujus virtutes, haud potest videre, luminis expers, oratoriæ facultatis, (a fere omnibus, nostri temporis, concionatoribus, eæ tantum leguntur, scribuntur, cū tot, casuum conscientiæ, tot, summarum, solum nomine, prægrandibus libris), emittuntur in publicum: (& vel si abusu, ac legentium pravitate), in malum ingens, & communissimum: quæ materna

lin-

lingua,mulierculárum petulantiæ, procacitati: publicanorum,ſpurcitiæ,cupiditati, adloquuntur,indulgent, blandiuntur, fomēto ſunt. His,& aliis,quam plurimis,& gravioribus multo malis,(quæ Veſtrā Sanctitatem,quam obſcuritatem meam,minus multo latère,omnino neceſſum eſt);ex proculcatione,ex,vel ſola neglegentia, linguarum Sanctarum:& poſt ipſarum,in ligno crucis Sanctiſsimo,cum,ſupra caput Chriſti,exſaltationem: tum,elevationē,ad altiſsimū illum,& glorioſiſsimum,totius cauſæ,Triūphalem Titulum.Cujus virtute,reddita ei,adoratione Latriæ,ut Cruci;pleriq; Sancti,ſæpe,ſæuiſsimos effugavere Dœmones,ut Cruce.His inquā occurrere malis,Pater Sāctiſsime,Veſtræ ſapientiæ Altiſsimæ,Veſtræ ſingularis pietatis, Veſtræ ſolius Apoſtolicæ auctoritatis,jam eſt.Æque nonne, & me, & mea iſta ſuſcipere?Redime me,Pater Sanctiſsime,Redime ſacrā Deo Veritatem:Redime ab Oppreſsione, &,fortiſsima, &,duriſsima,&, graviſsima.Quorum?Si id aliquando,Supremam Sedem,ſcire oportuerit;expectabit,hac de re,aut ab aliis,aut,ex publicis meis ſcriptis, certiorem fieri:haud a me quidē.Mens,ſane ſana hòrret, rèfugit,vel veriſsimis,vel æquiſsimis delationibus,Chriſtos tāgere,Dei ſui. Vos Pater Beatiſsime,hoc unum,precor,detis,haud quidē mihi,indigniſſimo,cujuſvis boni,vel perexigui:ſed meis,triginta jā annorū,& amplius,perpetuis,proSuprema,in qua ſedetis Sede,ſtudiis,ſcriptionib. laboribus,ærumnis.Et date obſecro,(ſi fari fas),meis officiis,ſeveriſſimi,indefeſsi,& interriti Magiſtri:non,in una,parvi pagi, parochiali anguſtiſsima,&(ne dicā obſcuriſsima), tenuiſsima: ſed in auguſtiſsima,& clariſsima jam,totius orbis,eccleſia:reſerata, (jā publicatis,auctoritate Apoſtolica munitis,his ſcriptis),omni ex parte,veritate,animarum ſaluti,abſolute neceſſaria.Quæ, vel requiſita anxius, diligētia accuratiſsima,& cura quā diligentiſsima,cunctis retro ſeculis,a viris, ſplendore ſcientiarū clariſsimis:a conſultorū conſultiſsimis:a ſapientū ſapientiſsimis;tenebatur tamen, teterrimo in antro, cancellis quā fortiſsimis:denſiſsima ſub caligine:ſpe ſine vlla,lucis:perpetua quaſi nocte, preſſa adhuc. Quæſo ergo iterum, Vos, Pater Sanctiſsime,ne,confugientem ad Vos,veritatem Dei,deſeratis: ſuſcipite eam potius, maxima cum pietate. Ne,oro, Beatiſsime Pater, ponas me, metum,formidinem,terrorem:ſed erige,eleva,in quaſi,ſpem certiſſimam,quam ampliſsimi fructus:in triumphi, in coronæ,in gloriæ ſignum,expugnaturis falſitatem: veritati propugnaturis. Et glorioſus quoque ex his, nec non gratioſiſsimus Deo, eſto permultos annos, cooperatorPaullo:cooperator eſto Petro:cohæres vtrìque æternum eſto:vtrìq; ſocius, in Chriſti Regno.

Ad.S.Veſtræ Pedes,totus provolutus.

Michahel Sebaſtian Preſbyter.